Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

oppidum devictum fugat. Postque collecto robore exercitus per-
sequitur. Similiterque innumera gentium multarum Theodebertus robore val-
latus ad Tulbiacense oppidum pugnaturus occurrit. Ibi ini-
to prelio innumere hominum phalanges extincte: exercitu perierunt.
Victus tandem Theodebertus fugit. Eo quoque in tempore vir Dei in
heremo morabatur contentus tantum uno ministro Chagnoaldi fa-
mulatu. Ea quoque hora qua apud Tulbiacum commissum est bellum super
quercus putrefactum truncum vir Dei librum legens residebat.
Quem sopor subito oppressit, et quid inter duos reges ageretur
vidit. Moxque excitatus ministrum vocat, cruentamque regum
pugnam indicat. multum humanum sanguinem fundi suspi-
rat. Cui temerario conatu minister ait. Pater mi, Theodeberto
tuis precibus prebe suffragium, ut communem debellet hostem Theo-
dericum. Ad hec Columbanus ait: Stultum ac religioni alie-
num consilium administras. Non enim ita Dominus voluit qui nos
pro inimicis orare rogavit. in arbitrio esse iam iusti iudicis
quid de eis fieri velit. Inquisivit quoque postmodum minister temporis diem
et horam, repperitque ita fuisse sicut viro Dei fuerat revelatum.
Persecutus est quoque Theodebertum Theodericus et suorum proditione
captum ad aviam Brunihildem direxit. Quem cum avia reppis-
set, quia Theoderici partis Brunihildis erat favens, furens
Theodebertum fieri clericum rogavit; at non post multos dies
impie nimis post clericatum perimi iussit.

Porro Theodericus apud Metense oppidum morans, divini-
tus percussus inter flagrantis ignis incendia mortuus est.
Postquam Brunihildis filium eius Sigebertum in regnum suffecit.
Itaque Clotharius memor prophetie viri Dei collecto exercitu
fines regni qui sue ditioni debebantur conatur recipere. Contra
quem Sigibertus cum hostium cuneis pugnaturus advenit. Quem
Clotharius captum perimit. Fratresque eius quoque Theoderici filios
cum proavia cepit. Pueros separatim perimit. Brunihildem
vero primo ignobiliter camelo impositam hostibus gyrando mon-
stravit. Postque indomitorum equorum caudis irretitam mise-
rabiliter vita privavit. Funditus quoque radicitusque deleta Theode-
rici stirpe, Clotharius potitus est trium regnorum solius monar-
chia. Quo facto beati Columbani prophetia in omnibus est impleta.
Unum inter triennium cum omni stirpe funditus deletum. alium
violenter clericum factum. tertium trium regnorum ac possessione
ac dominatione dilatatum.

Beatus quoque Columbanus cum vidisset ut supra diximus de-
victum a Theoderico Theodebertum, relicta Gallia atque
Germania Italiam ingreditur. ubi ab Agilolfo Longobardorum
rege honorifice receptus est. Qui largita optione ut intra
Italiam quocumque in loco voluisset habitaret. Ibi Dei consultu
actum est dum ille penes Mediolanum urbem moraretur, et he-
reseorum fraudes id est Arriane perfidie scripturarum cauterio
discerpi ac dissecari vellet, contra quos et libellum florentis scien-
tie edidit; vir quidam nomine Iocundus ad regem venit. qui regi in-

dicat se in solitudine ruribus Appenninis basilicam beati
Petri apostolorum principis scire, in qua virtutes expertus sit fieri. lo-
ca ubertate fecunda, irrigua aquis piscium copia. quem locum
veterum traditio Bobium nuncupabat, obvium in eo loco
hoc nomine fluentem. amnemque profluentem nomine Trebiam. super quem
olim Hannibal hiemans hominum equorum elephantorumque acceris
sive dampna sensit. Ubi cum venisset omni cum intentione
basilicam iam ibi semirutam reperiens, pristino decori renovans
reddidit. in cuius restauratione mira Domini virtus panditur.
Nam cum per prerupta saxorum scopula trabes ex abietibus inter
densa saltus locis inaccessibilibus cederentur. vel alibi cesa in-
ibi casu elapsi asperitate aditum plaustrorum denegabant. mirum
in modum trabem quam vix triginta vel quadraginta plano terre solo po-
sitam vehere non valerent. ibi cum duobus vel tribus per arduum
callis meatus patebat vir Dei accedens suis ac suorum hu-
meris immane pondus imponebat. et qui antea per asperitatem
itineris libero gressu vix incederent, onerati mox rabiem pon-
deris festini gaudebant ut versa vice quod onera ferrent. ac
si ab aliis veherentur firmis vestigiis velut ocio vagan-
tes ovantes ierunt. Videns itaque vir Dei tanti auxilii sup-
plementum, suos hortatur ut arreptum opus leti perficiant. animoque
roborati ea consistere in heremo studeant, Dei voluntatis
esse affirmat. Tecta itaque templi et culmina murorum re-
staurat ruinas: et cetera queque ad monasterii necessitatem
pertinentia construere parat. Interea memoratus Clotharius vi-
ri Dei prophetie effectum in se fuisse impletum cernens. vene-
rabilem Eustasium qui ei in loco Luxoviense monasterium
regebat ad se venire imperat. Quem pio affamine ro-
gat, ut ipse cum supplemento publico legationem fungi curet.
sociosque quos vellet nobilium virorum haberet. qui sui iudicimo-
nii arbitris essent, ad beatum Columbanum pergerent. quemcumque
repperissent in loco eleganti suasu ad se venire hortarentur.
Perrexit itaque venerabilis discipulus magistri vestigia prose-
cutus. Qui cum ad eum venisset Clotharii verba deprompsit.
Viso quoque Eustasio beatus Columbanus gavisus recepti muneris adi-
tum gratulatur. retentumque penes se paulisper hortatur ut sui
laboris resumat reminiscentiam cohorteque fratrum discipline
habenis erudiret. multorumque collegio ex plebe adunaret.
suisque institutis educaret. Dimissumque post hec ad Clo-
tharium remeare iubet. talibusque responsis regias mulce-
ri imperat aures. seque retro repedare nullatenus ratum duceret.
tantummodo poscere ut sodales suos qui Luxovium incolebant re-
gali amminiculo ac presidio foveret. Litteras castigationum
affamine plenas regi dirigit. Gratissimum munus rex ve-
lud fedus viri Dei ovans recepit. nec eius petitionis oblivi-
onis noxam imponit. omnique presidio supradictum monaste-
rium muneribus ornat. annuis censibus ditat. terminos undique
prout voluntas venerabilis Eustasii erat auget. omniaque

16